

EPICEDIA

Beatissimis ac desideratissimis

Manibus

VIRI

Reverendissimi, Nobilissimi ac Eminentissimi

DOMINI

JACOBI WELLERI

à Wolsdorff / in Klein-Karsdorff

Hæreditarii, &c.

Principis Theologorum, Sereniss. Elect.

Saxon. Concionatoris aulici primarii, Confessionarii, & in
supremo Consilio Ecclesiastico Assessoris, de Ecclesiâ

JESU CHRISTI Lutherana optime
meriti,

*Testandi Amoris, observantia ac debitorum
ingentium causâ*

Conscripta

à

Collegii Theologici Doctoribus & Profes-

foribus publicis in Electorali Academia

Wittebergenfi.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

Anno M. DC. LXIII



LESSUS
 IN OBITUM
 PRINCIPIS THEOLOGORUM
 JACOBI WELLERI à Molsdorff/
 Serenissimi Saxoniae Electoris Consilarii Ecclesiastici,

& Concionatoris aulici primarii,
 TOTIECCLESIAE ORTHODOXAE VALDE
 LUCTUOSUM.



LEUCORIS alma dōle, luge, WELLERUS ocellus
 Occidit ille tuus, Phosphorus ille tuus.
 Lugeat, ac ploret totus GERMANICUS orbis:
 Occubuit, sacri spesq; decusq; gregis.
 Quidē lachrymas fundat calidas ECCLESIA TOTA;
 Auriga & currus qui fuit, ille fuit.
 Non me commemoro: *propere sequar, Auspice JESU,*
 Cordis ubi excisa est PORTIO TANTA mei.

Huic quæ cura gregis sancti noctesq; diesque,
 Quis fidei fuerit Zelus, ubiq;, sacra,
 Rectius haud quisquam facile, in mortalibus oris,
 Hoc JAM DISCERPTO pectore, nōrit idem.
 OMNIA, cum summis animi tot dotibus, EHEU!
 UNUS jam tumulus contegit ista simul.
 Scilicet haud porrò cœli nunc improba terra,
 Deposito tanto, judice, digna, DEO.
 Tu verò Cœli nunc HOSPES SANCTE triumphas,
 Mistus Apostolicis lætus ovasq; choris.
 At quæ nos maneant, subducto seculi ELISA,
 Fata, gregem exiguum, noverit alma TRIAS!
 TRISTIA, proh! facies ostentat tetrica mundi,
 Horrendæ plagæ, vindicis ira DEI.
 RELIGIONIS honos propè nullus, inundat ut orbem,
 Diluvium scelerum; scandala ubiq; vigent.
 Adsis ò JESU, citus adsis OPTIME JESU,
 Et finem tandem, fac, pie Christe, malis.

*Totus diffuens lachrymis, mœrore, ac dolore, ex obitu amici summi,
 & Fratris in visceribus Christi conjunctissimi f.*

Abraham Calovius, D.

Ccidis ergo, pater, currus murusq; piorum?
 Occidis & pressi nil miserere gregis?
 Scilicet hæc miseræ sors restitit ultima terræ:
 Sic potuit nostris addere plura malis.
 Quis potis est tandem finem sperare malorum,
 Præsidium populi dum loca tuta petit?
 Cernimus heu! nostris instare pericula tectis:
 Æstus ut Oceani damna minatur agris.
 Christiadum strages narratur & ipsa potentum,
 Marte tyrannorum qui cecidère fero.
 Nec spes ulla boni; Crescit furiata tyrannis:
 Indomito cædis crescit in hoste furor.
 Qualiter immissus diversis partibus ignis
 Arentem in sylvam crescit eundo magis.

Aut

Aut velut albescens ventis, mox altiùs undas
 Erigit & sese tollit ad astra fretum.
 Consiliis reprobis conspirant undiq; diris
 Bellaq; crudeli mente nefanda coqvunt,
 Horresco cædes, quas impia dextra minatur,
 Et doleo Ungaricis funera facta locis.
 Quin jam naufragii tabulas demergere tentant:
 Ni Pater omnipotens corripit ipse truces.
 Quod superest, mors falce suâ quoq; fulgurat atra:
 Reliquias hostis mors truculenta rapit.
 Mors truculenta rapit proceres fideiq; columnas:
 Quâq; valet, tollit fraudeq; viq; pios.
 Infelix igitur Iuge, Philirea, Patronum,
 WELLERUM Iuge, Leucoris orba, Patrem,
 Et dic: illustres animæ, salvete, valetè!
 Nos, ubi fata vocant, dulce sequemur iter!

Lachrymabundus beatissimo in Christo Patri scribebat

Johannes Meisnerus, D.



Durum fatum, nimis ô miserabile fatum!
 Fluctuat in Pelago discordibus acta procellis
 Cymba DEI, ad nostras vigil excubat Hannibal oras,
 Occumbit subitò hæc inter Nauclerus alacris
 Surripitur Promachus, dignus superesse beati
 Secla Mathusalemi, WELLERUS, firma columna
 Saxonix, decus Eusebix, lumenq; Cathedræ
 Excelsæ, ac nostræ robustus Leucoris Atlas.
 Unde dolet SAXO, Proceres flent, Misnia Iugè,
 Plangunt Leucorides Musæ, Germania cuncta
 Lessum agit, & lacrymas largè profundit acerbas
 Concio Sanctorum, totum quæ sparsa per Orbem.
 Et meritò deslent tantum pia pectora Mystam,
 Quantum Teutoniæ vix plurima secula reddent.
 At lacrymæ vitâ functos revocare sub auras
 Haud possunt. Da Tu nobis, dulcissime JESU,
 Propitius, duplici superet qui robore Sancti
 Flaminis hunc nostrum Doctorem, ac protege cœtum
 Omnipotente tuâ dextrâ, quem sanguine tingis,
 Hocce cadente cadat ne totus in orbe superstes.

*Sanctissimos Manes Venerandi sui in Christo Patris, Affinis
 & Compatriis desiderio prosequutus f.*

Johannes Andreas Quenstedt, SS. Theol.

Doct. & Prof. Publ.



Eu perit fatis Christi Pars optima Cœtus!
 WELLERUS cecidit SOL OCULUSQVE gregis!
 IPSE PATER PATRIÆ FULGENTIS LUMINA VULTUS
 Occulit, & Iugè perdita Sacra VIRI!
 AULA suum plorat Mystam, certamina cessant
 Sancta precum, à Domino queis tulit omne bonum!
 Pervigil ecce VIGIL cecidit, quis SAXONIS oras
 Nunc prece, consilio, subsidioq; teget?
 Saxonici cecidit WELLERUS climatis Atlas,
 Quis pacem Patriæ nunc superesse dabit?

)†(2

PRÆSUL

AUE

PRÆSUL in orbe DEI nunc transit inculpatus,
 Qui sacris ausu præfuit usq; pio.
Antistes Vatum valedixit morte serena,
 Namq; *pia vitæ mors pia* semper adest.
Doctorem Phœnix periit; Sed vivus ad astra
 Transit, *Angelicis* mistus & ipse *choris*.
 Quælibet in Nostris lacrymans *ACADEMIA* Terris
Patronum sequitur voce gemente *pium*.
Grex Studioforum PATREM (proh *tristia fatâ!*)
 Deplorat, studiis nescit adesse suis.
Omnis Christicolûm Populus lugubria promit.
 Suspirante sono quis *pia verba* liget?
 O *Fatum durum!* *nimum* nunc *flebile Fatum!*
 Hoc orbis tristi tempore dira *sapis*.
 Nuncia dira trahis per tecta, per ora, per oras,
Hannibal ad portas fertur adesse *Scytba*.
Parvulus in terris patitur *Grex* dira, *superbus*
 Hostis & à dextris, ac aliunde nocet.
 Et tamen hinc abeunt *EQVITES & CURRUS ISRAEL*,
 WELLERO NOSTRO sic moriente solo.
 Transit *ELIAS*, qui *Flamine divite* tactus
Saxonicas Terras sustulit usq; *prece*.
 Transit ex oculis *WELLERUS*, *Phosphorus orbis*
Saxonici, Decus & Nobile Theologum.
 Transit ex nostri miseris *cruciatibus orbis*,
 Cœli ut *deliciis* possit ad usq; *frui*.
Vixisses utinam Nobis! TIBI SAT VIXISTI,
 Nominis atq; comes *Gloria* semper erit.
 Sed quia sic *Domino placuit*, sit nostra *Voluntas*
 Mox eadem, ac aliud nesciat ipsa sibi.
 Sit TIBI *Terra levis*, nunc molliter ossa quiescant,
 Post tantas curas, sit TIBI *sancta quies!*
Spiritus in Cœlis lætos sine fine *Triumphos*
 Ducat, & ex *Domini Lumine lumen* agat!
Spiritus & Duplex mentem collustret *ELISÆ*,
Sincerus maneat *Ductor* in *Æde DEI!*
 WELLERI NOMEN vigeat, *vestigia* crescant
Sancta, quibus *Cœtus* floret ubiq; *Sacer!*
 Cœlitus *AFFLICTI* ducant *solatia firma*,
 Nam *Manus una DEI* vulnerat, atq; *ligat!*
 Sit *Deus* in *Nobis*, *benedicat* & *undiq;* *Terris*
Saxonis, & *procul hinc tristia* *queq;* *trahat!*

Reverendissimis Manibus
 EMINENTISSIMI THEOLOGI hoc pietatis
 & Affectus symbolum offerebat Animo
 necessissimo

Johannes Deutschmann / D.
 & Prof. Publ.



EPICEDIA

Beatissimis ac deserventibus
Manibus

VIRI

Reverendissimi, Nobilissimi

DOMINI

JACOBI

*à Wolsdorff / in Rele
Hæreditarii, &*

Principis Theologorum

Saxon. Concionatoris aulici primarii
supremo Consilio Ecclesiastico

JESU CHRISTI Lutherani
meriti,

*Testandi Amoris, observantiam
ingentium cau*

Conscripta

Collegii Theologici Doct

foribus publicis in Electo
Wittebergenfi.



WITTEBERGE,
Typis MICHAELIS
Anno M. DC. LXI

